

In presencia nostrum Nicolai cavasacci, Regalis Baroli Iudicis Magistri Spine puplici eiusdem terre notarii et testium subscriptorum licteratorum *etc.*, Romana mulier filia quondam Thomasii de Nicolia concivis nostra a me predicto Iudice legaliter inquisita *etc.* consensu quoque Simonis de Odino electi sibi et petiti mundualdi quoad presentem contractum et ei per me predictum Iudicem confirmatum pro eo quod asseruit carere se legitimo mundualdo, voluntarie cum tota debita consueta iuris observantia donavit et per fustem tradidit titulo donationis irrevocabilis inter vivos pro anima sua et quondam Goffridi nasi viri sui. Capitulo Maioris Ecclesie baroli presenti et recipienti ab ea tam nomine eorum proprio quam nomine et pro parte dicte ecclesie. Unam domum suam sistentem in Civitate Baroli in pictagio Sancte Marie. a medio pariete iuxta domum Mathei Maresce, a medio pariete iuxta domum heredum quondam Raynaldi de poma a medio transende iuxta domum quondam Iudicis Marini et iuxta viam. Reservato ipsi Romane mulieri usufructu dicte domus dum vixerit, ipsa vero decedente usufructus ipse consolidetur proprietati domus predictae. Ex qua sua donatione dicta Mulier petiit a Clericis dicti Capituli presentibus et futuris Missas et orationes ad deum pro anima sua et dicti qd. Goffridi viri sui pacto etiam adiecto in donatione predicta quod clerici dicte ecclesie presentes et futuri, qui erunt pro tempore teneantur et debeant in tempore infirmitatis ipsius mulieris, ipsam mulierem ungere extrema unctione et tempore mortis ipsam sepelire et sepeliri facere intus in ipsa Ecclesia honorifice cum clericis aliarum trium Ecclesiarum dicte terre ad omnes expensas eorum, et anniversarium facere anno quolibet in perpetuum tam pro anima sua quam pro anima dicti qd. viri sui similiter ad omnes expensas Ecclesie supradicte, et quod dicti clerici teneantur et debeant dare et solvere amodo ad duos annos finitos dicto Matheo Maresce pro expensis factis per eundem Matheum in constructione cuiusdam Muri sistentis intus domus dicti Mathei et ipsam domum tarenos duodecim. Quam donacionem predicto modo celebratam et factam dicta Romana mulier per Guadium promisit Capitulo *etc.* Anteposuit omnia bona sua *etc.* Contra que si fecerint pene nomine componant dicto Capitulo uncias auri sex et totidem Regie Curie *etc.* Et renuntiavit consuetudini Baroli qua cavetur quod pena apposita in contractu *etc.* iuravit ad sancta dei Evangelia *etc.* Quod scripsi ego predictus Magister Spina puplicus Baroli notarius qui predictis rogatus interfui et meo signo consueto signavi. Superius autem in tercia linea ubi legitur Nicolai cavasacci et in nonadecima ubi legitur sistentis intus domus dicti Mathei et ipsam domum tarenos duodecim per me predictum notarium est abrasum et emendatum non vicio set errore quia scribendo erravi. (*Segno*).

† Nicolaus q. s. Iudex. (*Segno*).

† Thomasius de Magistro Henrico testatur.

† Ego Carducius de Vicario testor.

*Notitia testium:*

Carducius de Vicario, Thomasius et lillus.